

*torum nemo tam jejunus sit, qui sollicitet.* Verum huic colori minime esse credendum, & artificium hoc nostrae Ecclesiae esse perniciosissimum, protinus patebit, dummodo per certas observationes negotium deduxerimus. Et (I) quidem acceptandum est, quod Allocutor fateatur, negare Reformatos, *Communicationem inter duas naturas in Christo dari*; nam haec est thesis eorum ipsa, qui mentem suam sic satis candide & aperte proposuerunt, quamvis & hoc in negotio obscure quodammodo fiat, ubi potius quaeritur: *an λόγος proprietates divinae naturae competentes communicet suae carni assumtae?* Et si enim communicatio inter duas naturas, ab illis negata, a nobis, & recte quidem, statuatur, non tamen hic agitur, tam de communicatione naturarum, utpote quae praesupponitur una cum unione personali, quam potius de idiomatum divinorum, & tunc habemus Reformatos e diametro oppositos, utpote qui, *proprietates divinae naturae communicatas esse humanae*, etiamnum negant & pernegant. LEONH. RIISSENIUS Summa Theolog. L. XI. p. 301. STRIMESIVS Entwurff der Einigkeit p. 80. FR. SPANHEM. Elencho Opp. Theol. p. 911. perinde ut antiquiores, speciatim HENR. ALTINGIVS LL. CC. P. II. p. 248. una cum omnibus aliis, quos adducere non vacat.

II.) Enimvero, inquit Allocutor, Reformati negantes communicationem idiomatum, *eam saltem intelligunt, quae fiat per transfusionem, qua attributa divina in humanam naturam transfundantur & transmeent.* Hic autem mens Reformatorum minime omnium exprimitur. Omnem enim potius *communicationem Idiomatum ad humanam naturam* inficiantur, quia aliter, quam per transfusionem, fieri non credunt. Probamus hoc ex omnibus Scriptionibus & Confessionibus & Colloquiis, ubi, quia Eutychianam naturarum confusionem fere sub omni communicatione Idiomatum sibi concipiunt, eam aut saltem verbaliter, aut plane non fieri, fingunt.

III.) Vo-